DE VARIOLIS DISSERTATIO INAUGURALIS QUAM AD LAUREAM...

Pietro Trois

De Variolis

Dissertatio Inauguralis

quam

ad Lauream Medicam assequendam

Proponit

Petrus Trois

Bellunensis

Patavii

Typis Penada

MDCCCXLII.

Alla
migliore tra le madri

Hoc anno (570) *morbus validus, cum profluvio ventris et variolis, Italiam Galliamque afflixit.*

(Marii Episcopi chronicon)

Morbus, qui per saecula plura terrarum orbem depopulatus est, vitas crudelis auferendo vel faciei venustatem non raro populi integri foedando, *variola* nempe meae hodiernae dissertationis argumentum sistit. Variolae medicis antiquioribus ignotae, publicam juxta sententiam, primitus medicis arabibus innotuere. Prima vice juxta quoddam arabum scriptum anno 572 in Arabia variolae evolvebantur. Quum Omar Aegyptum occuparet victis hunc morbum quoque tulit anno 640; qui in posterum a Saracenis in Siciliam et Hispaniam delatus per universam dein Europam et serius Americam diffundebatur. Chronicon tamen Marii Episcopi, cujus superius fragmentum retuli, de veritate relatae sententiae dubium inducit, ni forsan sub variolarum nomine hic auctor alium morbum intellexerit. Quidquid vero de prima, evolutione disputandum sit, certum est quod Rhazes primam protulit exactam variolarum descriptionem et logicam medendi methodum.

Variolae inflammationem sistunt acutam contagio distinctam, pustulosam, cutaneam, quae pulsus frequentia et celeritate, nausea, vomitu, doloribus ad epigastrium et lumbos distinguitur; haec post symptomata tertio vel quarto die in facie et alibi maculae rubrae adparent, eminentiis duris praeditae in pustulas die octavo mutandae, quae crustis dein teguntur, quibus decidentibus, maculae temporariae vel cicatrices effossae permanentes restant.

In variolis practici plures species distinguunt, quae vero, uti recte Piorry nos docet, formam potius quam indolem exanthematis respiciunt. Quae peculiarem medici attentionem merentur, variola vera, modificata et varicella sunt.

Medici complures negant quod variola et varicella ejusdem indolis sint, Rayer tamen, Piorry aliique eandem originem hisce formis morbosis tribuunt.

Variola vera diversa ratione modificationes subit prouti naturaliter vel arte, scilicet per inoculationem, evolvitur. En utriusque modificationis symptomata.

Variola naturalis quinque stadia admittit: incubationis — invasus — eruptionis — suppurationis et exsiccationis. Periodus incubationis ab infectionis contagiosae momento diversae est durationis; aliquando per viginti circiter dies producitur et symptomata generalia leviora praesentat — Aggressio saepissimae horripilationibus distinguitur irregulariter recurrentibus, calore

plus minusve intenso, sudore abundante, vel cutis ariditate, pulsus celeritate, delassatione, doloribus artuum, dorsi, lumborum, epigastrii, nausea, vomitu, cephalaea, oppressione, sopore. Pueri somnolenti observantur, subito expergefiunt, vel argypnia laborant, et ejulatus frequenter edunt. Aliquando facies valde mutabilis cernitur ac si affectio cerebralis immineret; hujusque affectionis eo major suspicio est, quum frequentissime vomitus recurrit, quum epigastrium sine dolore tangitur, quum motus convulsivos labia et faciei vel totius corporis musculi offerunt.

Aliquando oscitationes, pandiculationes, anxietates, spiritus ducendi difficultas, cordis palpitationes, pectoris dolores vagantes, tussis variolarum invasum declarant.

Saepius nausea, vomitus frequentissimi, polydipsia, linguae in marginibus et apice rubor meteorismus et ventris dolores occurrunt, quo in casu et symptomata cephalica saepissime habentur. Relata phaenomena aliquando a topica laesione non procedunt; quorundam ergo, Franco Gallorum praesertim, opinio est rejicienda, qua censent, quod gastroenteritidis semper symptomaticae variolae sint.

Haemorrhagiae passivae, ecchymoses diffusae cutaneae vel in initio membranarum mucosarum, si morbus gravior sit, quandoque habentur.

Symptomata exposita simul juncta non raro occurrunt, et eruptione accedente vel dispa-

rent vel perstant, praesertim si vitae discrimen immineat.

Febris vehemens delirio conjuncta et inquietudine summa, priusquam eruptio evolvatur, aegrum aliquando necat.

Quum symptomata relata per tres quatuorve dies saevirent, stadium ingruit eruptionis. Parvae eminentiae fere papulosae in cute conspiciuntur, quae frequentiores in facie observantur. Eruptionem saepe rubor erythema simulans praecedit; hoc vero in casu variolae confluentes habentur. Pustulae omnes invadunt corporis partes: in ore, in pharynge, in larynge occurrunt. Facies et collum tumida observantur, de angina aeger conqueritur. Mucosa membrana oris rubore notata intenso maculas albicantes huc illuc offert.

Tussis initio rauca sicca, lacerans, acuta, dolens fit; vox debilis conceditur. Aliquando quamvis initio symptomata graviora deessent temporis progressu gastroenteritis vel pneumonitis superaccedunt.

Pustulae vel sparsae observantur, et discretae dicuntur; vel proximae sunt et copiosiores, et confluentes nuncupantur. Secundo eruptionis die pustulae basim magis extensam offerunt et vesiculam diaphanam liquido pellucido seroso repletam, hic liquor pelluciditatem amittit et colorem assumit albo-flavicantem, quum stadium incipiat suppurationis. Pustulae depressionem tum in centro praesentant — idque cha-

racterem pathognomonicum constituit. Die septimo vel octavo pustularum basis inflammata cernitur et dolorem vivum promovet. Pustulae tali pacto viciniores videntur; intervalla separationis tumida sunt; facies, palpebrae rubore intenso notantur; oculi fere clauduntur; cutis vultus tensa, lucida, dolens est. Haec symptomata eo majora sunt, quo magis pustulae confluunt. Pustulae lentis vel pisi magnitudinem acquirunt; materies contenta puris characteres omnino praesentat. Pulsus hac periodo frequentior fit, durus, celer, et novitus calor, cephalaea, anxietas, sitis, respirationis difficultas prodeunt. Hoc stadio apoplecticus vel suffocatus aeger occumbit: urinae saepe turbidae, cum sedimento puriformi minguntur, diarrhoea in pueris, ptialismus, ulcera oris aliaque in adultis frequenter superaccedunt. Umbilicus pustularum dein disparet, ita et areola rubra; pustulae sphaericam formam assumunt, albidae perfecte puriformes sunt. Faciei, manuum, brachiorum et postremo pedum pustulae hanc metamorphosim patiuntur, ita ut quae ultimo apparuerunt adhuc serosae videantur, dum primae puriformem adspectum praesentant. Si pustulae rariores sint, supporatio nullo sympathico symptomate accedente perficitur; contrarium accidit, si pustulae confluentes observentur; symptomata enim sympathica tum mortem ciere possunt.

Exsiccatio fere semper a facie incipit et

dein in pustulis aliarum partium observatur, uti diximus de suppuratione. Tumor imminuitur, pus contentum pro parte fluit et tum crustae incipiunt evolvi. Si confluentes variolae sint faciem fere universam crusta densa fusca tegit, quae quinto vel sexto die decidit, squamulis furfuraceis permanentibus. Variolae valde confluentes humidiores crustulas ferunt. Aeger odorem exhalat peculiarem, nauseosum, tensionis et doloris sensum accusat donec faciei crustae cadant. Saepe pustulae in ulcus mutantur, et superficiem sanguinolentam crusta nigricante tegendam ostendunt. Tum facilius foedae cicatrices depressae restant. Crustis adparentibus pruritus valde incommodus aegros ad scalpendum invitat, quam ob rem in infantibus non raro excoriationes occurrunt ab actione unguium pendentes. Aliquando exsiccatio non contingit, et brevi temporis spatio pustulae deprimuntur ob absorptionem puris collecti. Subita et ingens virium prostratio hanc absorptionem sequitur. Symptomata graviora cerebralia hac in periodo non raro adsunt, ita et diarrhoea, pneumonia, convulsiones, ophtalmiae.

Quum crustae perfectae remotae sunt, superficies, quae ab ipsis tegebatur, vini colorem pedetentim disparentem offert, rubore hoc remoto cicatrices magis perspicuae sunt, in facie praesertim.

Variola discreta relata symptomata mitiora

ostendit. Quidam practici vero (uti Borsieri) variolam discretam benignam a maligna distinguunt, prouti pustulas vagas, sparsas symptomata leviora vel gravia comitantur. In maligna phaenomena nervosa, pneumonica aliaque variolarum confluentium non desunt.

Variolae inoculatae a naturalibus aliquomodo differunt. Hic morbus evolvitur, si variolarum virus frictionum ope vel methodo endermica vel lanceola juvante adplicetur. Puncturae, quae frequentissimae in brachiis instituuntur, prima et secunda die nullam mutationem praesentant. Dein pruritus levis incipit et maculae rubrae adparent pulicis morsui similes. Tertia die hae maculae extenduntur; quarta magis intenso notantur colore et eminentes fiunt, ibique aeger punctionis sensum accusat; quinta symptomata augentur inflammatoria; sexta pustulae serositatem pellucidam continent; septima albescunt et depressionem in centro offerunt, dolor partem internam brachii saepe aggreditur, pustulae fere phlegmonosae adparent et purpurea areola cinguntur; octava horripilationes, calor, cephalalgia, prostratio, tristitia, nausea, vomitus, sopor habentur; nona inflammatio partis internae brachii et axillae imminuitur et areolae color pallidus fit et demum disparet, pus exsiccatur, crustae formantur, quae vigesimo vel vigesimo quinto die post inoculationem decidunt. Praeter hanc topicam variolarum apparitionem alia locum habet frequen-

tissime; solitis enim symptomatibus praemissis, quae variolas naturales praecedunt, pustulae saepissime discretae in facie, collo, trunco et artubus videntur. Post duos dies nova haec eruptio perfecta est. Pustulae eminentes fiunt depressionem centralem et rotunditatem praesentant, uti pustulae naturales, in genere eundem decursum sequuntur; sed priusquam exsiccentur punctum nigrum in centro praebent, et crustis remotis cicatrices permanentes superficiales sunt. Aliquando vero eruptio secundaria con contingit, aliquando haec sine topica eruptione habetur, aliquando plures secundariae eruptiones succedunt, aliquando stadia citissime persolvit vel lento cursu; et denique non desunt casus, in quibus post inoculationem, nulla eruptione accedente, febris variolosa, solitis variolarum symptomatibus generalibus praesentibus evolvitur. Ex his clare patet, quod variola inoculata naturali levior sit.

Decursum regularem, quem exposuimus, non semper variolae sequuntur; immo non semper eandem formam pustulae variolosae offerunt, nam aliquando papulas potius simulant. Morbilli, scarlatina, erysipelas, angina membranacea, ecthyma aliaque mala cum variolis non raro simul evolvuntur. Variolae per vaccinam modificatae, variolae spuriae, varioloides varietatem constituunt variolarum summi faciendam. Distinguuntur a variolis veris eo quod stadia citius percurrunt, pustulas minores, conicas po-

tiusquam depressas offerunt, citius exsiccantur, suppuratione nulla vel fere nulla praemissa, symptomatibus generalibus mitioribus stipantur, rarissime mortem inducunt, haecque, si contingat, potius ab aliis causis vel a male instituta diagnosi procedit. Aliquando vero symptomata graviora adsunt, praesertim sub stadio febris: ita tum capitis gravamen, dolores lumborum, stomachi, febris violentia insigni adparens inflammatoria offerebantur, quibus pustulae adjungebantur a veris variolosis plane diversae. Tertio jam die saepe suppuratio incipit, et celerrime exsiccatio absolvitur; plerumque febris suppuratoria et salivatio desunt, squamae potius quam crustae pustulas tegunt, hisque disparentibus foveola restat minima superficialis, post breve temporis spatium delenda.

Nemo affectiones graves pulmonum, oculorum, cerebri a variola modificata inductas recenset. Plures auctores autumant, quod variolae spuriae a variolis veris immunes reddant, quod iisdem sub circumstantiis evolvantur, quae variolis veris favent, quod per inoculationem communicari possint, et denique quod contagio miasmatico destituantur. Huic vero opinioni plures adversantur.

Varicella, variolae volaticae vel pustulae phlegmasia sunt cutanea, quae non raro similitudinem summam cum variolis praesentat, et quibusdam ab auctoribus uti variolarum modifica-

tio consideratur. Pustulae vero varicellae prius ac variolarum evolvuntur; symptomata gastricae affectionis in varicella plerumque desiderantur, et rheumatica symptomata e contra adsunt; pustulae varicellae umbilicum non offerunt, prius apparent in pectore, dein dorso et demum in facie et capillitio; prima die eruptionis vesiculae serositatem colligunt, et die quinta exsiccantur; plures eruptiones successivae varicellae haberi possunt; varicella periculum vitae non minatur; et aliquando cum variolis complicata occurrit. In varicella febris secundaria deest.

Varioloides et varicella plerumque sub fine epidemiae variolosae comparent.

Variolae contagio gaudent — per contactum mediatum vel immediatum diffunduntur. Contagii character cum pustularum suppuratione evolvitur et usque ad exsiccationem producitur. Variolae quovis in sexu, quavis in aetate evolvi possunt; fetus aliquando stigmata variolarum vel pustulas variolosas ferunt. Quidam pertinaciter repetitis variolarum inoculationibus resistunt, et variolosa epidemia grassante immunes restant. Hi vero facile aliquando alia vitae periodo variolas contrahunt. Quamvis quavis anni tempestate variolae evolvi possint, tamen videtur quod ver variolis magis faveat. Qui semel hoc exanthema exantlavit, rarissime novitus corripitur. Variolae sporadicae aliquando sunt, frequentius vero epidemicae.

Quoad prognosim monendum quod variolae discretae, symptomatum nervosorum et passivarum haemorrhagiarum expertes bonum exitum promittant et a decimo quarto ad vigesimum diem cursum absolvant. Per longius tempus durant variolae confluentes, ni mors prius decursum truncet. Febris consociata jam ab initio de intensitate et vehementia exanthematis futuri nos docet. Prognosis in genere pendet a numero pustularum, a gradu inflammationis tegumentorum et speciatim cutis faciei, a conditione membranarum mucosarum praesertim viarum respirationis, a symptomatibus encephalicis aliisque consociatis phaenomenis.

Senes, debiles, infantes sub dentitione, puerperae malum exitum timeant. Eruptiones variolarum confluentium successivae tanti discriminis non sunt ac eruptio universalis contemporanea; hoc in casu saepe mors scenam claudit. Variola, quae symptomatibus nervosis stipatur uti gravissima habenda: ecchymoses saepe mortem vicinam indicant. Infausta prognosis est, si laryngo—tracheitis, aut angina membranacea variolosa habeatur. Post variolas saepe ophtalmiae pertinaces, otitis, abscessus varii similiaque restant. Quidam auctores censent, quod evolutio praepropera pustularum, exiguitas, forma depressa, decursus irregularis mali ominis sint. Monent alii quod pustulae variolosae loco puris serum continentes pejoris sint notae, et haemorrhagiae

in suppurationis periodo accedentes uti infaustissimae haberi debeant. Mala vero prognosis non ex irregulari decursu pustularum, sed potius ex consociatis profundis laesionibus est repetenda.

Si variolas malus exitus sequatur sectio cadaverica sequentes detegit laesiones. Pustulae frequentiores in facie observantur et evolutionis majorem progressum ostendunt. Si mors tum contingat, quum exsiccatio inceperit, pustulae faciei crustis caerulescentibus teguntur dum aliae adhuc in stadio cernuntur suppurationis, depressionem albi coloris in centro ferentes; in cruribus vero aliquando colorem referunt vini vel nigricantem. Pustulae donec pus adhuc continent pressioni resistunt. Volae manus pustulae majores ut plurimum sunt, nec umbilicum praesentant, dum plantarum pustulae potius quam eminentias maculas circulares violaceas linea alba circumdatas ostendunt. Incisio pustularum detegit reticulum vasculare subcutaneum valde huc illuc evolutum — hoc vero phaenomenon est constans. Pars profunda dermatis pustulis respondens sanguine suffusa et rubra observatur, aliquando strias sanguineas manifestas offert. Superficies externa dermatis pustulae immediate adstans, tumida, transparens, flavicans observatur. Super derma adest stratum pseudomembranosum, ex quo substantia pustulae formatur. Ex substantia constat alba, tenaci, in-

time epidermidi adhaerente, minus stricte dermati — coni truncati formam praesentat densitatis circiter lineae dimidiae. Pustulae serius materiam continent serosam in parva cavitate collectam — suppuratione vero incohata humor collectus puriformis est, et majori quantitate occurrit ita, ut saepe diffusus sub epidermide observetur.

In genere volumen, color, depressio pustularum umbilicum ferentium a strato pendent pseudo - membranoso a textu papillari inflammato secreto. Inter pustulas variolosas aliquando quaedam formam conicam vel globosam offerunt, uti pustulae varicellae. Cutis denique faciei et dorsi saepissimae sanguinea injectione notatur. Membranae mucosae aberrationes praebent summi faciendas. Injectio sanguinea et pustularum rudimenta conspiciuntur in conjunctiva, in membranis mucosis narium, oris, pharyngis, laryngis, asperae arteriae, bronchiorum praeputii, vulvae etc. Schneideriana membrana rubore intenso distincta muco denso-tenaci obducitur flavi coloris. Palatum et superior superficies linguae exsudationes pseudo-membranosas et frustula epithelii ostendunt. Membrana mucosa oris colore gaudet rubro - violaceo. Inflammationis indicia constanter observantur in viis respiratoriis, si variolae confluentes sint. Membrana mucosa laryngis et tracheae rubore violaceo distinguitur et exiguis maculis albicantibus, circularibus, diametri lineae unius circi-

ter, punctum rubrum in centro praebentibus. In membranis mucosis vero nunquam observantur pustulae externarum similes, crustis tegendae. Practici distinctissimi affirmant quod nunquam in oesophago, ventriculo et intestinis pustulae variolosae occurrant, sed alia ex parte sustinent quod harum partium membranae mucosae semper inflammatae cernantur. Internae membranae tramitis intestinalis folliculos valde evolutos et prominentes habent, nec raro ecchymoses ibi cernuntur.

Variolosi quidam sanguinem tenuem, serosum, solutum obtulerunt; effusiones sanguineae in textu cellulari subseroso vel subcutaneo inventae aliquando sunt, ecchymoses in ventriculo, pulmones sanguine repleti, cor pallidum et flaccidum, maculas limitatas sua in superficie interna rubri vel violacei coloris offerens, observabantur. Alia viscera difficilius laesiones ostendunt. Quum vero symptomata encephalica valde perspicua habebantur in sectione cadaverica frequenter inveniuntur meningum injectiones, effusiones serosae in circumvolutionibus et ventriculis cerebri et sic porro. Arteriae inflammatae saepe cernuntur, et parvi abscessus pulmonales, si mors sub stadio suppurationis variolarum contigerit.

Febris et symptomata inflammatoria in variolis mitigari non omnino deleri debent — hic enim morbus sua stadia persolvat necesse est.

Cura in variolis medica in eo versatur, ut valetudo bona aegro restituatur, ut venustati

provideatur, ut morbi evolutio impediatur atque ejusdem diffusio.

Variolae discretae benignae plerumque levi febri et inflammationi cutaneae gradus mitioris junguntur — hoc in casu regimen temperatum, sudorem modice fovens, diaeta tenuis, potus abundantes aquosi, aciduli curam persolvunt. Aliquando vero pustulae in cute discretae affectionis intensioris internae sunt symptomaticae. Si gastro — enteritidis symptomata habeantur cataplasmata emollientia, diaeta stricta, hirudines, potus mucilaginosi, balnea conveniunt. Quum laryngo - tracheitis variolosa evolvatur eruptionem cutaneam non raro impedit et tum venaesectio vel hirudines valde conferunt. Eruptione completa, methodus therapeutica activa cessat et expectativa et observatio requiruntur. Si variolae symptomatibus gravioribus prodeant, si pustulae universum corpus tegant, si textus cellularis subcutaneus, glandulae salivales tumore inflammatorio notentur, si characteres inflammationis membranas mucosas occupent methodus antiphlogistica in usum est vocanda. Venaesectiones, hirudines, embrocationes emollientes tepidae vel frigidae, balnea, ab omnibus medicis hoc in casu praedicantur. Variolae nervosis phaenomenis distinctae prae ceteris rebelles sunt: venaesectiones prohibent, nec raro prae remediis omnibus a medica scientia suppeditatis, uti camphora, valeriana, floribus zinci, assa foetida, aeger occumbit.

Ecchymoses, epistaxes, haemorrhagiae abundantes morbum maculosum haemorrhagicum simulantes fere semper mortem minantur. Sanguinis aberratio saepissime tunc adest. Purgantia, china, amara in genere indicantur.

Balnea frigida quidam suadent eo scopo, ut eruptio modica sit — ad id juxta Janson faciunt venaesectiones abundantissimae. Pediluvia irritantia et vesicantia, ut pustulae inferiores partes afficerent, adhibita sunt. Si eruptio lente manifestatur purgantia, emetica et sudorifera laudantur. Tonica in variolis characteres putridos aut haemorrhagicos praeseferentibus, narcotica in nervosis quibusdam ab auctoribus commendantur. Praeter emetica, purgantia et venaesectiones, ut eruptionis variolosae vis infringatur quidam, stigmatibus pustularum variolae adparentibus, suadent ut incisiones plures instituantur, per quas inoculatio vaccinae puris activioris fiat. De hujus auxilii utilitate, ut judicium feramus desunt experimenta.

Cura topica variolarum frequenter nulla est. Lotiones vero repetitae non sunt contemnendae. Si excoriationes ob scalptum pateant, ut cicatrices minus adparentes restent, aspersiones cum pulvere amyli vel lycopodii adhibentur vel etiam folium auri metallici imponitur.

Arabes ut venustatem servarent post variolam suadebant puncturam et expressionem pu-

stularum suppurantium et dein lotiones ex decocto malvae vel alio mucilaginoso. Incisio et expressio pustularum prima vel secunda die eruptionis auxilium praebet incertum. Rudes frictiones in cute ope telae institutae statim ac pustulae evolvantur sunt rejiciendae.

Medici Galli, quos inter Bretonneau et Velpeau, cauterisationem pustularum singularum vel omnium ope bacilli vel solutionis nitratis argenti laudant. De hacce vero cauterisatione clariss. Rayer sequentia sentit.

1. Cauterisatio universalis, licet citius perficiatur et minorem dolorem ciet, est rejicienda, nil enim prodest; nam sub crusta caustico producta regularem decursum pustulae variolosae sequuntur, et cicatricem solitam relinquunt.

2. Cauterisatio in regionibus solum instituatur, quae a cicatricibus defendi debent, dolor enim ex hac operatione procedens, facile symptomatum cerebralium manifestationem juvare potest.

3. Cauterisationis bonum in variolis discretis aut semiconfluentibus praestat.

Priusquam causticum pustulae variolosae applicetur lanceolae ope incisio in summitate pustulae instituitur. Ut effectus desideriis respondeat in cauterisatione necesse est, ut primis eruptionis momentis instituatur, tertia die enim instituta cicatrices omnino non impedit, licet hae minus depressae adpareant; et pustulae regulariter plane decurrunt solitas cicatrices

foedas relinquendo si cauterisatio quarta aut quinta die succedit.

Clades, quae a variolis inducebantur in causa fuere, quod medici omni opera auxilia huic morbo crudeli adversantia invenire curarent. Observatio, ex qua constat, quod variolae inoculatae mitiores sint ac naturales praxim in Georgia, Indiis, Aegypto inoculationis diffudit. Anno 1673, quum epidemia variolosa Costantinopolim vastaret, et ibi inoculatio instituta est. Inoculationis praxis in posterum in Angliam introducta per universam Europam diffundebatur. Pus ex sano individuo sumebant, qui variolas naturales benignas passus esset, statim ac in pustulis hic humor formabatur et praemissis diaeta, regimine et usu antimonialium atque mercurialium inoculatio instituebatur minima quantitate puris adplicando, iisdem remediis, iisdemque cautelis, quae ante inoculationem adhibebantur, continuatis. Haec vero praxis in posterum fere omnino rejiciebatur, quum populi certum morbum licet mitiorem pro incerto pati recusarent.

Jenner in comitatu Glocester apud Berkeley observavit, quod eruptio cutanea, *cow-pox* vocata, in uberibus vaccae evoluta homines quoque per contagium afflixerit et inde quod hi nunquam variolis corriperentur. Observationes intendit, inoculationem instituit, et anno 1798 publici juris detectum fecit. Universa Europa beneficum auxilium animadvertit; sed prius-

quam inoculationis vaccinae praxis diffundi possit praejudicia complura philosophia et philantropia vincere debuerunt. Tandem victoria celebrabatur, et nunc inoculationis praxis per universum diffusa a morbo crudelissimo praeservat vitas et pulchritudinem populorum. Sapientes nationum rectores praemia medicis aliisque inoculationi faventibus donarunt, poenis renitentes multavere. Attamen nunc videtur, quod inoculatio vim suam sensim amittat; forsan primitivi puris vaccini virtus jam post annos cedit, forsan per tempus limitatum tantummodo vaccina a variolis praeservat, forsan sensim organismum vaccinae puri assuefit. Quomodocumque res se habeat, suadendum ut nova vaccinatio quovis in individuo instituatur, quibusdam annis a prima inoculatione elapsis, atque ut novitus pus vaccinum genuinum adhibeatur, ut contagium validius puri ex pustulis humanis prodeunti concedatur.

Variolis evolutis summopere interest, ut contagium ultro non progrediatur, quamobrem ad hoc leges sapientes praescribunt, ut statim ac variolae appareant, vel variola modificata, vel varicella medicus aut familiares aegri auctoritati morbum patefaciant, ut aegrotus a ceteris sejungatur, ut suffumigia instituantur aliaque auxilia in usum vocentur, ne morbus ultro proserpat.

Qui conscius auctoritati variolas, varioloides, aut varicellam evolutas non annuntiet, apud nos, pecunia multatur.

THESES DEFENDENDÆ

I.

Nova vaccinae inoculatio non solum utilis, sed etiam necessaria.

II.

Eandem curandi rationem non semper neque omnibus in locis eundem morbum mederi defendo.

III.

Nullus morbus sine organica laesione.

IV.

Lutorum et balneorum ferventium in paralysi usus ut plurimum nocet.

V.

Mentales alienationes quum chronicae fiant saepissime in idiotismum transeunt, et tunc organica praesens aberratio est vel cerebri emollitio vel induratio.

VI.

Venus immodica saepe sterilitatis causa.

VII.

Electricitas inter remedia insigniora censenda.

VIII.

Non multos aegros videre, sed multum aegros observare medicum expertum reddit.

IX.

Otium corpus mentemque debilitat.

X.

Auditum amittere pejus est ac caecus fieri.